



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

6. An in formæ Sacramentorum interruptione detur parvitas materiæ? Ex
p. 5. tr. 5. res. 41.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

De Sacram. Baptismi. Resol. IV. V. & VI. 5

quamplures docere, & idè Bartholomæus ab Angelis Dominicanus in exam. conf. de Sac. in communi. dist. 1. §. 3. sic asserit. Ubi Minister ex malitia in Baptismo, vel Penitentia, vel alio Sacramento falleret, non habendo intentionem faciendi, quod Ecclesia facit, sed tantum irrideret hominem, & hæc sua malitia non esset nota? Deus (qui facienti quod in se est, non deficit in necessariis, nec alligavit virtutem suam Sacramentis (sua infinita bonitate suppleret, non quoad characterem, sed quoad gratiam. Ita ille, qui citat D. Thomam in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. quæstionibus 3. & Viguerium, & ex eadem Dominicanorum familia, hoc etiam docet Sylvester ver. Baptism. 6. n. 3. & novissimè Zanardus in direct. confess. parvi, de Sacram. Bapt. c. 4. in fine. Idem à fortiori docent Angelus ver. Bapt. 7. n. 12. & Alensis, Durandus, & Gabriel apud Filliucium ubi supra.

4. Et tandem hanc opinionem etiam ex Societatis Jesu Theologis Pater Valentia tom. 4. disp. 3. q. 5. punct. 3. ubi ita ait. Probabiliter arbitrantur Theologi, Deum in infantibus supplere defectum Ministerii, quando hic malitiosè subrahatur intentionem, & in adultis eundem defectum Ministerii suppleri per devotionem, & fidem ipsius suscipientis, Deo etiam peculiariter ad id cooperante, si quid fortè in devotione deficit. Quamquam illud de infantibus non secundum legem ordinariam, sed secundum privilegium quoddam accipi debet. Sic Valentia, sed tu ne recedas à nostra sententia.

RESOL. IV.

An in verbis forma Sacramentorum detur parvitas materia?

Et an hoc intelligendum non sit in verbis essentialibus, & mutantibus sensum?

Et an si quis in forma Sacramenti Eucharistia reliquerit particulam enim, & in forma Baptismi, & Penitentia particulam ego, incurrat culpam mortalem?

Et quid, si ad finem verborum consecrationis quis non proferat m, valde distinctè, & illud r?

Et quid dicendum, si verba essentialia forme Sacramenti mutentur in alia, idem tamen significatum tenentia?

Et an peccet mortaliter, qui ex industria corruptè profert, aut mutat verba forma? Ex p. 5. tr. 5. Ref. 39.

§. 1. Respondeo negativè cum Alphonso de Leone de off. Conf. p. 1. recollect. 7. n. 40. & aliis, quod est intelligendum de verbis essentialibus, & mutantibus sensum, & idè ego alibi notavi quod si quis in forma Sacramenti Eucharistia relinqueret particulam enim, non incurteret culpam mortalem, & ita etiam docet Hurtado de Sac. in gener. disp. 1. dist. 1. 4. & idem dicendum esse puto, si in forma Sacramenti Penitentia & Baptismi omittatur particulam * Ego.

2. Notandum est etiam hic quod si verba essentialia forme Sacramentorum mutentur in alia, idem tamen significatum tenentia, ex genere suo non esse nisi peccatum veniale, secluso scandalo: Ita Sotus in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. Ochagavia tr. 1. de Sac. Penit. q. 6. n. 6. Valentia tom. 4. disp. 7. punct. 3. & alij.

3. Sed non desinam hic apponere verba: Sylvij in 3. part. q. 60. art. 8. dub. 3. concl. 3. ubi sic ait. Qui ex industria corruptè profert, aut mutat verba forme, peccat mortaliter, si corruptio, vel mutatio sit notabilis, etiamsi solum accidentaliter, venialiter si parva, vel non scienter facta, modò tamen absit contemptus etiam interpretativus; parvitas enim materiae communiter excusatur à mortali. Ita ille, Unde est

Tom. I.

his obiter notetur quàm ridiculus sit scrupulus eorum, qui si ad finem verborum consecrationis non proferunt m, valde distinctè, & illud r, quod in verbo est reperitur, putarent se non consecrassè, cum hæc mutatio nullius ferè momenti sit, ut rectè notat Granadus de Sac. in 3. part. contr. 3. tr. 1. disp. 5. n. 3.

in §. ult. Ref. annot. præterit. & in aliis veris ejus ult. annot.

RESOL. V.

An in conjunctione materiae, & forme Sacramentorum detur parvitas materia? Ex p. 5. tr. 5. Ref. 40.

§. 1. Videtur negativè respondendum ex sententia Doctorum, qui requirunt simultatem temporis inter aliquam saltem partem forme, & aliquam partem materiae, ita ut non priùs perficiatur forma, quàm existat aliquid materiae, nec priùs existat integra materia, quàm incipiant verba proferri. Ita Scotus in 4. dist. 6. q. 1. §. Dico ergo. Gabriel q. 1. art. 2. concl. 8. Richard. dist. 3. art. 4. q. 2. licet non omnino clarè. Basol. dist. 15. q. 1. art. 2. in fine. Perez 3. part. q. 66. art. 8. n. 3. Navarrus in sum. c. 22. n. 8. & Sylvester ver. Bapt. 5. §. Secundo, licet de Baptismo in speciali loquantur. Eandem doctrinam magis ex professo defendit Caietanus tom. 1. opusc. tr. 26. non solum in Baptismo, sed potissimum in sacramento Ordinis, ratione probatur, quia inter materiam & formam Sacramenti requiritur ea conjunctio, quæ necessaria est ad veritatem verborum; sed ad veritatem verborum necessarium est ea saltem quoad aliquam partem proferri, cum applicatur materia, ergo ad Sacramentum requiritur aliquam partem materiae esse simul cum aliqua parte forme.

2. Sed ego puto non requiri ad veritatem Sacramenti coexistentiam materiae, & forme, sed sufficere moralem conjunctionem. Ita ex Soto, Victoria, Henriquez, Suarez & aliis, docet Granadus de Sac. in 3. part. contr. 3. tr. 1. disp. 4. n. 4. quia Sacramentum est morale quoddam compositum, ex re sensibili, & verbis, quæ illam determinant ad significandam gratiam; ergo ad ejus constitutionem & veritatem sufficit moralis conjunctio, & moralis modus reddendi vera verba, quibus præcipitur ipsum Sacramentum: ad moralem autem conjunctionem satis est si verba non ita distent à re sensibili, ut non censeatur ad illam pertinere, seu illam actuare & determinare ad significationem rei sacrae, quod quidem optimè intelligi potest, si verba parum distent à materia, licet non simul coexistent, sed circa præsentem questionem ne deseras etiam videre me ipsum in 3. part. tract. 3. resol. 6.

Sup. hoc lege doctrinam Ref. not. seq. & in tom. 2. tr. 5. Ref. 16. & recitantes in tom. 7. tr. 2. ex Ref. unica §. Nec valet. & §. Respondeo non esse, & in tom. 4. tr. 8. Ref. 36.

Quæ hic est infra Ref. 62. & lege etiam aliam Ref. ejus not.

RESOL. VI.

An in forma Sacramentorum interruptio detur parvitas materia? Ex p. 5. tr. 5. Ref. 41.

§. 1. Respondeo affirmativè cum Gamachæo in summa Theolog. in 3. part. D. Thom. quæst. 60. cap. 4. ubi docet quod circa verborum interruptionem & interpolationem, si Minister prolatis aliquot verbis moram faciat, deinde addat reliqua, tunc standum arbitrio viri probi ac prudentis, ita ut si disjunctio & mora fuerit diuturnior, nec ordinariè moraliter videatur esse una oratio, sed duæ orationes, aut pereat verborum sensus nullum omnino sit Sacramentum: si distantia & mora fuerit brevior, ut non impediatur orationis sensum, & unitatem, Sacramentum è contrario verum censeatur, quia est solum mutatio

A 3 tatio

tatio accidentalis, accidens verò non tollit rei essentiam, sed potest adesse & abesse sine ejus interitu.

2. Sed gratum erit lectoribus, ut reor, audire circa præsentem quæstionem Nugnum, *tom. 1. in 3. part. q. 60. art. 8.* ubi sic ait. Quarta mutatio est per interpolationem, sive disjunctionem verborum, ut si quis dicat. Ego te baptizo, & ibi sistat, vel etiam admisceat alia verba, & postea subdat; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & tunc si sit parva morula, ita ut secundum regulas physicas, & dialecticas sit una propositio, erit verum Sacramentum; si verò sit tanta disjunctio verborum, ut secundum easdem regulas non judicetur una, & eadem propositio, non erit Sacramentum, & hoc intendit D. Th. in *art. 8. solutione ad 3.* in illis verbis: *Si intercipiatur inventio proferentis*; sensus enim est, si sit tanta distantia, quòd debeat intercipi sensus proferentis secundum regulas dialecticas & philosophicas, propterea quòd est tanta discontinuatio, ut oratio non possit esse una secundum propriam suam unitatem. Ubi advertendum est multò facilius fieri istam discontinuationem per admixtionem aliorum verborum, quam quando sit tantum sistendo in medio. Quoniam qui alia verba admisceat, intendit ad aliam orationem, & sic per se loquendo, omittit præsentem, atque adeò videtur quòd non possit illam continuare. Item facilius discontinuatur oratio, quando sit interruptio inter syllabas ejusdem termini, quam si sit inter terminum, & terminum: ut si quis dicat. Ego te baptizo, & in-sistat, vel admisceat alia verba, & postea subdat tizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, tunc enim licet non sit magna distantia, sed mediocris, non conficitur Sacramentum. Ita Nugnus. Et tandem hanc sententiam tenet etiam Marchantius *de Sac. in 99. regul. tract. 1. c. 2. q. 2. cas. 3. fol. mihi 556* ubi ita asserit. Quid dicendum, si quis interrumpat, verba formæ, e.g. Sacerdos baptizans dum dixit, Ego te baptizo, dicit pueris tumultuantibus, Recedite inde, & nolite ibi garrere, postea addit, in nomine Patris, &c. aut forte dum baptizando dixit, Ego te baptizo, retrahente se puero dicit, Admove te propius puerum fonti, & postea addit, in nomine Patris, &c. Respondetur, licet in his irreverentia intervenire possit alienis verbis interpolando verba formæ, tamen valere Sacramentum, quia moraliter judicatur ex antecedentibus & subsequenter verbis una fieri oratio, si autem notabilis sit mora, idem non judicatur, & ideo nullum foret Sacramentum. e.g. si quis nunc dicat, Ego te baptizo, & post quadrantem horæ adiciat, in nomine Patris, &c.

RESOL. VII.

An qui est in peccato mortali teneatur providere aliene salutis cum vitæ discrimine? Ex part. 5. tract. 13. & Miscell. 1. Refol. 23.

Quoad hoc in to. 5. tr. 6. lege doctrinam Ref. 42. & signanter §. Hæc tamen.

§. 1. **S**uppono ex Villalobos in *summa*, *tom. 1. tract. 3. difficult. 7. mem. 7.* & aliis communiter, in extrema necessitate proximi teneri unumquemque cum vitæ periculo ei succurrere, nisi qui opem est laturus, periculo se exponat, amittendi justitiam; vt si quis, v.g. timeat cruciatuum sevitiam, nec se satis existimet ad eam, perferendam, teneatur se cohibere. Et secundò, nisi quis teneatur strictiori vinculo aliis proximis, qui, ipso vita functo, magnum sint subituri discrimen pereundi. Hoc supposito ad dubium propositum Hurtadus

de Mendoza in 2. 2. *disp. 144. sect. 3. §. 25.* distinguit duo genera periculorum. Primum imminet ab hominibus in odium fidei, aut pietatis, tunc unumquisque tenetur providere proximo, quia attritio supernaturalis facilis est cum gratia Dei, cum qua salutem assequitur æternam, quia vel illa sufficit cum martyrio (etenim tunc martyrium esset,) vel Deus tunc ei contritionem providit; ipse autem actus est se martyrio obicere, qua in occasione, Deo favente, nullus perit, nisi ipse sponte deficiat, quod ipse tunc timet probabiliter, sed potius sperat à Deo auxilia efficaciter ad ferendos cruciatum. Secundum genus periculi est, vel à rebus inanimatis, vel ab hominibus non in odium Dei, sed per privatum; ut si moribundus sit ultra flumen, quod sum trajecturus cum periculo, ut ægrum absolvam, aut baptizem, vel sum comprehendendus ab inimico privato, & occidendus, tunc si possum facile exercere amorem Dei super omnia, & valde probabiliter opinari me esse reconciliatum Deo, non secus ac id existimo per confessionem, tunc teneor subire mortis discrimen, quia non est necessaria certitudo, sed prudens opinio de justitia sanctificante. At verò si homo sit diuturnis peccatis assuetus, & perdifficilis ad contritionem perfectam, nec satis sibi persuadet verum amorem Dei, & nixus illum exercere, adhuc prudenter timet, non tenetur se exponere periculo mortis, quia in periculo aequali prius tenetur sibi, quam proximo; adultus autem moribundus tenetur se disponere; quòd si adultus non sit, nullus ei tenetur providere cum gravi periculo æternæ salutis. Immo Bannez in *art. 5. concl. 2.* omnia peccatorem excusare videtur, dum asserit, hominem justum teneri: ergo peccator non tenetur.

RESOL. VIII.

Explicatur aliqui casus, an quis teneatur propter extremam necessitatem spiritualem proximi exponere propriam vitam:

Sed hic est aliud pulchrum dubium. Quadam obstetrici fuerunt plures infantes invalide baptizasse, &c. quaritur in hoc casu, quid obstetrici, & confessarius cum ipsa obstetrice facere debeat? Ex part. 3. tract. 5. Misc. 1. Refol. 50.

§. 1. **P**rimò quæritur, an Sacerdos teneatur audire, & absolvere cum discrimine vitæ propriæ illum, qui in articulo mortis timet non habere sufficientem contritionem, & ideo petit Confessarium ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Affirmativè respondent Valentia *ro. 3. disp. 7. q. 4. punct. 4. post §. asserit.* Lorca in 2. 2. *sect. 3. disp. 28. num. 32.* Suarez *tract. de fide. disput. 9. sect. 7. num. 3.* Sylvius in 2. 2. *quest. 26. artic. 5.* cum aliis, quia etsi talis per contritionem salvari possit, hæc tamen ei est difficilis, & ipse merito timet, an sit contritus.

2. Sed hoc aliis (ait Coninch *tract. de fide. disp. 25. dub. 7. num. 89.*) videtur difficile: unde meritò (ait ille) Navarr. *c. 24. num. 9.* hunc casum limitat ad existentem in peccato mortali, qui omnino ignorat sibi necessariam esse contritionem extra susceptionem Sacramenti, aut omnino ignorat quid sit contritio, & quomodo eam possit in se excitare, atque ita non cogit se ad eam habendam. Non est igitur absolute dicendum moriturum existentem in peccato mortali qui creditur, non esse contritus, esse in extrema necessitate; secus autem in casu Navarr. ut *suprà*.

Quantvis non plene sup. hoc lege tamen infra post mediū Ref. 68. vers. confirmatus & vide doctrinā Ref. 49. Et signanter sup. hoc in to. 5. tr. 6. Ref. 42. in fine, & in tom. 2. tr. 4. ex refol. 16. §. 2. ad lin. 4. & in §. ult. ad lin. 3. &c.